

mentalibus Confessionibus, quia sine jurisdictione absolutio evadit nulla.

Praeterea suspensio aut sine ullo tempore praesinito indici potest, aut ad certum tempus, puta ad annum, aut in perpetuum. Suspensio nullo certo tempore praefinita pro vera Censura habetur, quoniam medicinalis est, nam spem veniae offert statim ac reus ad bonam frugem redierit. Si vero ad certum tempus, vel in perpetuum lata fuerit, non est Censura, sed poena vindicativa, quia sine ulla spe veniae permanet donec statutum tempus elabatur. Haec autem suspensio, quatenus vera poena est, per dispensationem tollitur ab illo qui eam irrogavit. Suspensiones tamen, quae per modum Censurae vel poenae a jure communi impositae fuerint, ab Episcopis absolvit et relaxari nequeunt, utpote quibus derogando juri communi nulla inest facultas. Verum ex Concilio Tridentino sess. 24 cap. 6 de Reformat. : « Liceat Episcopis in irregularitatibus omnibus et suspensionibus ex delicto occulto provenientibus, excepta ea quae oritur ex homicidio voluntario, et exceptis aliis deductis ad forum contentiosum dispensare. »

At vero suspensiones proprie dictae sine causa ferendae non sunt, quam etiam in scriptis exprimi oportet, et monitiones insuper praemittendae, nisi suspensio sit latae sententiae, tunc enim lex ipsa admonet, de quo supra diximus.

Verum ex decreto Concilii Tridentini sess. 14 cap. 1 fas est Episcopo ob crimen occultum sibi cognitum atque perspectum quomodolibet, etiam extrajudicialiter, nullis nempe actis judicialibus confectis, Clericum, a Sacra Ordinatione repellere, aut etiam usu Ordinum quibus initiatus est interdicere. Qui cumque vero ab usu Ordinum suspensus, si eosdem Ordines exercuerit, irregularitatem incurrit.

## § 245.

## DE INTERDICTO.

Postremum Censurarum genus est Interdictum quod definiatur « Censura, qua quibusdam locis aut personis divina officia, Sacraenta et Ecclesiastica Sepultura interdicuntur. » Est igitur interdictum vel *locale* quod locum ipsum, vel personale quod personam, vel *mistum* quod locum et personam afficit. Praeterea locale Interdictum vel *generale* est, quod integrum nationem, provinciam, Regnum, et Civitatem complectitur; vel *particulare* quo unus tantum locus, veluti una tantum Ecclesia Sacrorum usu privatur. Interdictum etiam personale vel generale est vel particulare: generale quum in totum Clerum vel populum infertur, ita tamen ut si Clerus interdicatur, eo nomine populus non contineatur, et vicissim interdicto populo Clerus interdictus non censeatur: particolare autem illud est, quod unam pluresque personas certas et nominatim expressas percellit.

De Interdictorum origine et antiquitate quaestio est. Alii putant ignota fuisse interdicta ante S. Gregorium VII qui anno 1073 Apostolicam Sedem concendit: alii ea tribuunt Alexandro III qui 1159 Pontificatum obtinuit: alii denique Interdictorum originem multo antiquorem esse, idque probare contendunt ex Canone Concilii Romani anno 863, quo decernitur. « Si quis dogmata, mandata, interdicta, sanctiones, vel decreta pro Catholica fide, pro ecclesiastica disciplina, pro correctione fidelium, pro emendatione sceleratorum, vel pro interdictione imminentium vel futurorum malorum a Sede Apostolicae Praeside salubriter promulgata contempserit, anathema sit. » Multi denique interdictorum exemplar valde Iuculentum, et apertum saeculo VI agnoscunt, dum comperta Sancti Praetextati morte, qui in sua Cathedrali Sede Rothomagensi anno 586 interfectus fucrat, omnes Rothomagensis

Urbis Ecclesiae clausae fuerunt, ne populus divinis officiis interesse posset, donec S. Episcopi interfector detegretur.

Interdictum autem ad terendos contumaces multum conductit; sed visum est antiquae disciplinae severitatem cum prudenti moderatione conjungere. Itaque Innocentius III praeter parvorum baptismum et morientium poenitentiam permisit, ut tempore Interdicti praedicatio Evangelii ad populum fieret, et pueris baptizatis confirmatio tribueretur; itemque ut Viaticum decedentibus, et Clericis qui Interdictum servaverunt Ecclesiastica sepultura concederetur. Gregorius IX amplius permisit, ut in unaquaque hebdomada Missa privata, sed submissa voce, silentibus Campanis, et clausis Ecclesiae januis celebraretur, in qua Corpus Domini, quod decedentibus in poenitentia non negabatur, conficeretur. Denique Bonifacius VIII in cap. ALMA MATER de Sentent. excomm. in 6 concessit, ut « tempore Interdicti ab homine vel a jure prolati non tantummodo morientes, sed etiam viventes, tam sani etiam quam infirmi, ad poenitentiam licite admittantur. » Permisit insuper « ut singulis diebus in Ecclesiis et Monasteriis Missae celebrarentur, et alia dicerentur divina officia sicut prius; submissa tamen voce, et januis clausis, excommunicatis ac interdictis exclusis, et campanis etiam non pulsatis... In festivitatibus vero Natalis Domini, Paschae, Pentecostes, et Assumptionis Virginis gloriose, campanae pulsentur, et januis apertis alta voce divina officia solemniter celebrentur, excommunicatis prorsus exclusis, sed interdictis admissis, modo qui causam interdicto dederint ad altare non accedant. » Martinus V ad praefatos solemnes dies Festum quoque Corporis Christi atque ejus Octavam adjunxit.

Interdicta ab omnibus observanda sunt, et quicumque ea violaverint gravissimis poenis afficiuntur, et si Clerici fuerint, irregularitatem incurront, a qua non possunt nisi a Summo Pontifice absolviri, cap. 48 de Sent. excomm. in 6. Regulares vero etiam exempti, qui interdictum generale aut locale a

S. Pontifice inflictum non servaverint, excommunicatione mulctantur.

Praeter Interdictum hactenus explicatum est etiam aliud quod ab ingressu Ecclesiae dicitur, et ab aliquibus partiale Interdictum, ab aliis novum genus Interdicti appellatur. Interdictus itaque ab ingressu Ecclesiae non potest ibi divinis officiis participare, et « is cui est Ecclesiae interdictus ingressus, cum sibi per consequens censeatur in ipsa divinorum celebrazione interdicta, irregularis efficitur, si contra interdictum hujusmodi divinis in ea se ingerat, » cap. 20 de Sent. excomm. in 6. Hoc Interdicto ligatur etiam laicus, et sane in Canone OMNIS UTRIUSQUE SEXUS de Poenitentia et Remissionibus, Laicus qui semel in anno confessus non fuerit, et Eucharistiam in Paschate non perceperit, vivens ab ingressu Ecclesiae arceatur, et moriens christiana caret sepultura. » S. Ambrosius ob caudem Thessalonicam, in quo tot innocentes necati sunt, Theodosium Magnum Imperatorem ingressu Ecclesiae prohibuit.

Affinis Interdictio videtur etiam *cessatio a divinis*, per quam Clerici vetantur divina officia celebrare in Ecclesia, quae adulterio, homicidio, vel alio gravissimo crimen polluta fuerit. Non itaque infligitur ob criminis, quod jam patratum est, emendationem, ideoque proprie Censura non est, sed divina officia in ea cessant, ut populo salutaris terror, et criminis horror incutiatur. Antequam vero Ecclesia reconcilietur, si Clericus divina officia in ea celebraverit, gravem culpam contrahit, non tamen fit irregularis. Regulares vero excommunicantur si cessationem a divinis violaverint, Clement. I de Sentent. excomm.

### § 246.

#### DE ABSOLUTIONE A CENSURIS.

Saepe dictum est et iterum dicamus oportet duplex esse in:

Ecclesia forum, internum et externum; et Censura semel irrogata in utroque foro absolvenda et relaxanda est. Praeclare Innocentius III cap. A NOBIS 28 de Sent. excomm.: « vinculum, quo peccator ligatus est apud Deum, in culpae remissione dissolvitur: illud autem quo ligatus est apud Ecclesiam, cum sententia remittitur, relaxatur. » Confirmatur ex cap. CUM DESIDERES de Sent. excomm., ubi cautum est, ne excommunicatis per solam resipiscentiam absque absolutione habendus sit pro absoluto, et cap. QUA FRONTE de Appellat. idem declaratur de excommunicato et interdicto. Quod vero ad suspensionem pertinet, nonnulli Doctores dubitare visi sunt, propterea quod cap. SAEPE de Elect. in 6 haec habentur: « Ex ipso sint et tamdiu maneant ab officio et beneficiis qui buscumque suspensi, donec plane restituerint; » ubi Glossa addit: « impleta conditione suspensio cessat per se ipsam. » Haec autem Glossae, non Canonis verba ita communiter explicantur, ut quamvis sublata contumacia videatur Ecclesiae satisfactum fuisse, poena tamen pro culpa sine absolutione non dimitatur. Huc spectat propositio ab Alexandre VII damnata, nempe: « Quoad forum conscientiae reo correcto, ejusque contumacia cessante cessant Censurae. »

Censurae vero, ut diximus, vel a Judice vel a Jure latae sunt. Itaque Censurae ab Episcopo seu ab alio Judice Ecclesiastico latae, ab ipso Episcopo vel Judice qui eas irrogavit, per se aut per idoneum Sacerdotem absolvendae, et in foro externo per eosdem Episcopum vel Judicem sunt relaxandae.

Quod vero pertinet ad Censuras latae sententiae, haec recepta regula est: si Summus Pontifex aut Canonis Conditor earum absolutionem sibi expresse non reservaverit, ab Episcopo vel etiam a quocumque Sacerdote ad excipendas Confessiones approbato unusquisque absolviri potest, quam regulam Innocentius III cap. 29 de Sent. excomm. expresse tradidit his verbis: Quia tamen Conditor Canonis ejus absolutionem sibi specialiter non retinuit, eo ipso concessisse videtur facul-

tatem aliis relaxandi. » In iis vero quas Summus Pontifex aut alias Canonis Conditor sibi reservavit, nemo absolvere potest, nisi ab ipso Summo Pontifice absolvendi facultatem obtinuerit, excepto mortis articulo in quo ex Concil. Trid. sess. 14 cap. 7: « Nulla est reservatio in articulo mortis, atque ideo omnes Sacerdotes quoslibet poenitentes a quibusvis peccatis et censuris absolvere possunt. » Absolutions vero Censurarum latae sententiae ad forum internum pertinent, et si fuerint reservatae, auctoritas seu delegatio legitimi Superioris requiritur, ut jam dictum est; in ea autem delegatione censemur concessa quoque relaxatio in foro externo, nisi adjuncta sit clausula quae a Summis Pontificibus adjungi solet: « dummodo casus ad forum externum deducti non fuerint, nec facile futurum sit ut deducantur. »

At vero censura irrelitti, veluti excommunicati dum vivent, etiam post mortem ab Ecclesia pacem non obtinent, nisi postquam ab eadem absolutionem seu Censurarum relaxationem impetraverint, nam « quantacumque poenitentiae signa praecesserint, si tamen morte praeventus absolutionis non potuerit beneficium obtinere, quamvis absolutus apud Deum fuisse credatur, nondum tamen habendus est apud Ecclesiam absolutus. Potest tamen et debet ei Ecclesiae beneficio subveniri, ut si de ipsius viventis poenitentia per evidentia signa constiterit, defuncto etiam absolutionis beneficium impendantur, Innocentius III cap. 28 de Sent. excomm. Haec autem absolutio vita functis data eorum saltem memoriae admodum prodest, eo quod ecclesiastica sepultura donantur, atque Ecclesiae precibus et fidelium communioni restituuntur. »

Praeterea in Censuris dantur etiam absolutions *ad cautelam*: 1. Cum incertum, num aliquis ob factum vel commissum censuram contraxerit. 2. Cum agitur de gratia et favore alicui impertiendo, cuius adeptioni Censura a jure lata et ignorata impedimentum afferret, ob eamque causam ne quis concessis favoribus et gratiis careat, ea absolutio ad cautelam in

omnibus Rescriptis et Bullis Apostolicis tribuitur. Sic etiam Sacerdotes in administrando poenitentiae Sacramento eamdem absolutionem a Censuris praemittunt antequam a peccatis absolvant.

## § 247.

## DE DEPOSITIONE ET DEGRADATIONE.

Hactenus de Censuris; nunc de poenis Ecclesiasticis agendum est. In veteri Ecclesiae disciplina nullum inter depositionem et degradationem discriminem fuisse videtur. Nunc vero una ab altera maxime distat; depositio enim est poena ecclesiastica, qua Clericus perpetuo privatur aut exercitio suorum Ordinum, aut officio, aut beneficio, retentis tamen privilegiis Clericalibus Canonis et Fori. Itaque depositio ad suspensio[n]em accedere videtur, in eo tamen discrepat quod suspensio non sit perpetua, quum veri nominis censura sit. Degradatio autem, quae etiam realis, actualis, et solemnis depositio appellari solet, est poena qua Clerico detrahuntur insignia clericalia singulorum Ordinum a summo ad novissimum, abraditur etiam clericalis tonsura, et perpetuo privatur omni usu Ordinis, omnique jurisdictione, ministerio, officio et beneficio ecclesiastico. Denique privatur privilegiis Clericalibus Canonis quoque et Fori, ita ut posterum potestati civili in omnibus tanquam laicus subjiciatur.

Itaque potiora discrimina, quae depositionem inter et degradationem intercedunt, haec sunt:

1. Depositio fieri etiam potest a Vicario Generali; degradatio autem ab uno Episcopo facienda.
2. In Depositione non requiritur vel Episcoporum, vel Dignitatum, vel Sacerdotum numerus, qui ad degradationem necessarius est, ex Concil. Trid. sess. 13 cap. 4.
3. In Depositione potest vel officio, vel beneficio, vel Ordinibus

nis usu separatim privari; sed in degradatione tria illa simul amittuntur.

4. Depositio non privat privilegiis Canonis et Fori; degradatio autem utrumque tollit.

5. Depositus Curiae Saeculari non subditur; degradatus vero eidem Curiae traditur.

6. Depositus in proprium gradum ab Episcopo, degradatus autem ab uno Romano Pontifice restitui potest.

Depositio, utpote poena gravis, non est nisi ob grave delictum irroganda; degradatio autem, quae omnium gravissima poena est, infligitur propter quaedam enormiora crimina quae in Jure speciatim expressa habentur: sunt autem haeresis et apostasia a fide saltem cum pertinacia, falsificatio litterarum Apostolicarum, assassinum, nefandum crimen non semel admissum, sollicitatio ad turpia in Sacramentali Confessione, celebratio Missae aut exceptio Sacramentalis Confessionis sine Ordine Sacerdotali, falsificatio sive erogatio falsae monetae aureae vel argenteae, et verae monetae detonsio in Italiae provinciis, furtum sacrilegum Sanctissimae Eucharistiae vel Sacrae Pixedis etiam sine divinis particulis, et denique procuratio abortus foeti animati. Itaque Clerici propter haec enormia crimina degradati Magistratibus traduntur; ob alia vero crimina etsi gravissima non degradantur, sed pro qualitate criminum alii debitibus poenis mulcantur.

## § 248.

## DE LAICA ET PEREGRINA COMMUNIONE.

Omnis consentiunt communionem tum laicam, tum peregrinam duplex poenarum genus fuisse, quibus in veteri Ecclesiae disciplina Clerici afficiebantur, sed in iis poenis singulatim determinandis valde dissentunt. Bellarminus de Eucharistia lib. 4 cap. 24 laicam communionem fuisse existimat

Communionem sub una tantum specie « quae in poenam gravis alicujus delicti olim dabatur Clericis, ablata eis communione clericali. » Quae quidem opinio communiter non probatur, quum certum sit olim etiam laicos sub utraque species communionem percepisse. Lindanus aliisque laicam communionem fuisse putant quam Clerici depositi non intra Sanctuarium in quo reliqui Clerici communicant, sed extra sacros cancellos cum laicis accipiebant. Verum non videtur ex solo loco, ubi Eucharistia sumebatur, laicam communionem aestimandam esse; enimvero quum Presbyter aegrotans in suis aedibus communicatur, eam laicam communionem fuisse nullo modo dici potest. Petrus de Marca, et Cardinalis Bona Rerum Liturgicarum lib. 2 cap. 19, aliisque rectius existimant laicam communionem nihil aliud fuisse, quam veram degradationem per quam Clerici ob delicta patrata omni gradu et officio, omnibusque clericalibus privilegiis privabantur, adeoque ad communionem laicam redigebantur, et cum solis laicis communicabant.

Quam veteris Ecclesiae disciplinam Apostolica Sedes praesertim in Galliis sequuta est. Quum enim postremis elapsi saeculi annis in maxima illa sacrarum humanarumque rerum perturbatione multi Sacerdotes ex utroque Clero impetu tempestatum abrepti sceleribus et flagitiis se contaminassent, dein vero cum ibidem res publicae atque etiam religiosae in ordinem adduci coepissent, eorum plures superiorum enormitatum dolore ac poenitentia ducti ad Apostolicam Sedem confugerunt enixe rogantes veniam, et vehementer exoptantes cum reliquis fidelibus Catholicae unitati iterum consociari. Itaque Sancta Sedes, quum id ad Ecclesiae pacem et Catholicae unitatis bonum maxime conducere intelligeret, « proprio uniuscujusque Oratoris Episcopo gratiam et communionem cum Apostolica sede habenti facultatem communicavit, Oratorem ipsum dummodo indubia poenitentiae signa exhiberet a poenis et censuris ecclesiasticis, a recessu a statu

clericali, sacrilegiis, attentatibus et excessibus admissis Apostolica auctoritate in utroque foro absolvendi in forma Ecclesiae consueta, injuncta pro modo culparum poenitentia salutari, aliisque injunctis de jure injungendis, firmis quoad eumdem Oratorem tum irregularitate ex praemissis et praemissorum occasione contracta, quam inhabilitatione ad quodcumque Sacrorum Ordinum exercitium, atque ad quaevis ecclesiastica officia et beneficia seu obtenta, sive assequenda, et ad illorum emolumenta et fructus ex iisdem quoquo modo percipiendos. » Denique declaratur et decernitur: « eumdem Oratorem ad simplicem laicorum communionem hoc ipso traductum, nec non omnibus juribus et privilegiis clericalibus prorsus spoliatum remanere. » Itaque etiam aetate nostra Clerici criminosi omni gradu et officio dejecti, ac usu Ordinum omnibusque juribus et clericalibus privilegiis expoliati ad laicam communionem traducuntur.

Communio autem peregrina erat alterum poenae canonicae genus, quo Clerici in veteri Ecclesiae disciplinae multabantur. Quid vero fuerit, variae et discrepantes sunt Doctrinum sententiae. Bellarminus communionem peregrinam eamdem ac laicam fuisse putat, sed fallitur eo quod Clericis ad laicam communionem redactis nulla spes remanebat pristini gradus recuperandi, sed Clerici ad communionem peregrinam traducti, peracta poenitentia ex can. 2 Concilii Agathensis « suum gradum dignitatemque recipiebant. » Glosator Gratiani contendit, nomine communionis peregrinae significari communionem quae nonnullis Clericis criminosis in exitu vitae dari consuevit, dum nempe de hoc mundo peregrinabantur; inepta quidem interpretatio, non enim qui moritur, sed qui vivit amissum gradum ac dignitatem recipere potest. At aliis hujusmodi opinionibus in medio relictis verior aut certe probabilior sententia est, Clericos ad communionem peregrinam traductos de bonis quidem Ecclesiae vixisse, et interim ab omnibus officiis clericalibus exclusos

tuisse. Cur autem ea communio dicta sit peregrina, intelligi facile poterit, si praenotamus Clericos qui in alienas Dioeceses peregrinabantur sine litteris proprii Episcopi, quibus de eorum fide et moribus constaret, recipiebantur quidem, ac etiam si egerent, de bonis Ecclesiae alebantur, sed ab officiis Clericalibus et a communione precum removebantur. Itaque Clerici ob aliquod delictum in sua Ecclesia ad conditionem peregrinorum reducebantur, quae poena communio peregrina dicta est, in qua manebant donec de crimine admisso poenitentiam egissent.

Et hic Institutionibus Juris Privati Ecclesiastici finem facio, paratus quemcumque errorem in quem lapsus sim corrigere.

HOC VERO OPUS QUALE CUMQUE SIT  
BEATISSIMAE VIRGINI MARIAE  
SINE LABE ORIGINALI CONCEPTAE

D. D. D.

## INSTITUTIONUM

### JURIS PRIVATI ECCLESIASTICI

#### LIBER PRIMUS.

##### DE PERSONIS.

##### CAPUT I.

###### DE STATU PERSONARUM.

	PAC.
§ 1. De Jure Personarum . . . . .	1
§ 2. De diversis Clericorum ordinibus . . . . .	2
§ 3. De Sacra Hierarchia. . . . .	5

##### CAPUT II.

###### DE EPISCOPIS.

§ 4. De potestate Episcoporum. . . . .	9
§ 5. De Juribus et officiis Episcoporum. . . . .	10
§ 6. De Residentia. . . . .	14
§ 7. De Visitatione Dioecesis. . . . .	15
§ 8. De Procurationibus. . . . .	18
§ 9. De Cathedratico. . . . .	19
§ 10. De Adiutoribus Episcoporum. . . . .	20
§ 11. De Archipresbyteris et Decanis. . . . .	20
§ 12. De Archidiaconis. . . . .	21
§ 13. De Vicariis generalibus. . . . .	22
§ 14. De potestate Vicariorum generalium. . . . .	24